

Ung.
38

~~C. H.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-58.

SIGNAT. ~~clio~~ CCCXIII.



XXXVII.

DE

PIETATIS PRÆMIIS

Pietatis Studio deditos

CHRISTIANUM GOTOFREDUM SCHRAMMIUM Budiss. Lus.

JOH. Gottlieb MICHAELIS, Pirnensem. Misn.

Memoriter

Craftinâ luce d. 22. Dec. verba facturos.

ut

DN. PATRONI, FAUTORES
atq; AMICI,

In ædibus

Tit. DN. STEUDNERI, Hospitis nostri

Humanissimi,

Consuetâ benevolentia atq; attentione audiant

Hicce oratum vult

M. JOHANNES Rosenberg,

Schol. Budiss. Evang. Rect.

Plaut. in Rudent. Prolog.

Idcircò moneo vos ego, heic qui estis Boni,

Quiq; ætatem agitis cum pietate & Fide,

Retinete porrò, post factum ut lætemini.



Budissinæ Stanno RICHTERIANO, 1686,



Solon qui sapientum unus fuit ex septem & Legum scriptor solus ex septem, Rempublicam duabus rebus contineri dixit, *præmio & pœna*, ut scribit Cic. ad Brutum Ep. 15. Et rectè quidem. Nam *præmiis* aluntur virtutes, *pœnis* verò opprimuntur scelera, Rerum publicarum Carcinomata. De *præmiis* verò agere cœpi *Program.* 35. Jamdudum etiam hujus argumenti telam pertexuissem, nisi fatalis illa flamma à DEo, qui est חֶבְרֹן אֵל Ignis consumens. *Ezai.* 30, 27. ad expianda nostra peccata die 5. Julii hujus anni missa non solum Bibliothecam ipsam, sed pleraque etiam Excerpta Philologica & Historica exussisset, & cursum scriptoris interrupisset. Periit cum istis non dicam facultas, sed ipsa fere voluntas scribendi. Qvò enim peregrinator peregrinationis præsidiis destitututus perget? quid efficiet? *Movebit*, (ut cum *Comico* loqvar in *Eun.* V. 3.) sed nihil promovebit. Interim tamen ne calamus otio & situ planè computrescat, ad affectum argumentum redeo, simulq; Lectorem benevolum oro, ut hæc ipsa, qvaliacunqvè fuerint, æqvī boniq; consilat & rerum sterilitatem non meæ ignaviæ, sed adversæ fortunæ adscribat. Qvod si fœtura gregem librarium cum tempore, suppleverit, quemadmodum eo nomine quorundam *Benefactorum* Liberalitati multùm debo, præsens in opia liberaliori copiâ, DEo dante, compensabitur. Insupradicto autem *Programmate* divisa fuere præmia in ἐντιμα honorabilia tantum, & χρησιμα utilia, quæ posteriora *Piccarda Decad.* i. cap. 6. observation. *Histor. Polit.* vocantur cum ἀγριαλος δοσει, i. e. cum largitione facultatum, sicuti priora sola ἀγριαλος σημεῖα i. e. Honorabilia. In hisce honorabilibus porro primum locum sibi vendicat πρεσβεία i. e. jus sessionis in primô locô. Hoc cum in aliis conventibus publicis, tum maximè in theatris spectabatur. Namq; licet Senatus, Equitesq; cum populo, per quingentos & quinquaginta octo annos indiscretis uterentur in spectandis ludis sedibus,

dibus, tamen lege *Roscianâ* theatali distincta loca Senatui, equitibus & populo attributa fuerunt. Locus Senatorum proprius *Orchestra* dictus. *Orchestrā* sequebantur quatuordecim *Ordines*, seu gradus subselliorum, in quibus sedebat *equestris Ordo*. Die Ritter. *Vind.* Unde in *quatuordecim* sedere idem est, ac in equitum numero censeri. Huc pertinent verba *Suetonii* in *Augusto*. C. 40. *Cum pleriq; equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos ē quatuordecim non auderent, metu pænae theatralis, pronuntiavit non teneri eā, quibus ipsis, parentibusve equester census nunquam fuisset.* Deniq; ultimus locus *populo* datum fuit. Cuicunq; igitur προεδρίας jus datum, illi licuit Sedem capere, ubicunq; libitum esset. Jure isto ab *Alexandro M. donati* sunt Veterani ex *Asia* in *Græciam* remissi. Audiamus *Curtiana* verba *lib: X. c. 4.* *Complures bello inutiles exauditoravit, magnificèq; donatos dimisit.* Scribens quoq; ad *Antipatrum* *Macedoniæ Præfectum*, eis ad *spectanda certamina* priores in *Theatro* sedes assignari, coronatosq; sedere jussit. προεδρια sequitur πρωτοκλισια, quæ generaliter cum priori convenit, specialiter verò ad Convivium mensasq; restringitur, & primum in accubitu locum significat, Respicitur autem hoc vocabulo ad antiquum morem, quo *Græci & Romani* non assidebant mensæ, sed accumbabant. Quâ ratione *Christus πρωτοκλισιαν. e. principem in accumbendo locum affectantes ab ambitione ad Modestiam revocaverit, Lucas refert cap. XIV, v. 7.* Quis vero *princeps* apud *Romanos* inter accumbentes *locus*, & quis *accumbendi modus* fuit, descriptum reperimus apud *Rosinum* in *Antiquit: Rom. lib. V. C. 28.* Accumbebant reclinatâ superâ parte corporis in cubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ jacente: capite leviter erecto, dorso à pulvillis modicè suffulto, quod si plures uno lecto decumberent, primus decumbebat ad caput lecti, cuius pedes porrigebantur ponè dorsum secundi: secundus verò occiput obvertebat; ad umbilicum primi, pulvillo interjecto, pedes jacebant ad tergum tertii, & sic deinceps tertius, sic quartus. Jam qui primus, & ad



caput lecti decumbebat, summus dicebatur: qui ad pedes, Imus: qui inter istos, Medius. Atq; si tres convivæ in uno lecto, medius dignissimus: proximus honore, summus: si quatuor, medium censi seri arbitror, proximum à summo: si duo tantum, dignissimus, summus fuit. Ad præmia honorabilia revocanda etiam sunt insignia Magistratum Romanorum, ut fasces consulares, curules, togæ prætextæ, & clavi. Pleraq; horum agnoscunt Tarquinium Priscum Auctorem. Ita enim de hoc *Florus lib. I. Cap. V.* Inde fasces, trabeæ, curules, anuli, phaleræ paludamenta, prætextæ; inde quod aureò curru, quatuor equis triumphatur; togæ pictæ, tunicæq; palmatae; omnia deniq; decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet.

Ut verò paucis potissima ex his explicemus, *Fasces* fuerunt virgulæ ex ulmo aut Betula inter se colligatæ, complexu suo securim constringentes, ita ut ferri acies in summitate extaret. Gestabantur à lictoribus, quorum duodecim cum totidem *Fascibus* alter post alterum ordine satis longo atq; extenso Consulem, seni verò cum totidem fascibus & securibus *Prætorem* honoris terrorisq; causâ præcedebant. *Vid. Rosin Antiquit: Roman: lib. VII. c. 3. & c. XI. & Kipping: Antiquit: lib: 2. c. 3. p. 300.* Notandum hic & corrigendum est inter alia innumera sphalma Typographicum in *Lexico Fabri à Buchnero p.m. aucto,* ubi pro *seni* scriptum legitur *deni*. Id mendi etiam in editionem novissimam Dn. *Cellarii*, Viride literis meritissimi irrepsisse miror. *A fascibus* ad *curules* progredimur, quæ sellæ fuere eburneæ, velebore exornatæ, quibus primò *Reges*, post Regifugium vero *Magistratus majores*, ut *Consules, Prætores, Ædilesq;* ex Patrum numero creati. *Togæ prætextæ*, erant *Magistratum*, *sacerdotum* & *puerorum*, qui inde *prætextati* dicti. *Prætexta* autem nomen habet à *prætexendo*, Siquidem purpura his togis erat *prætexta* ad pudorem pueritiae commendandum. Nec prætermittendi hic sunt *clavi*, præsertim cùm illi hoc significatu non adeò vulgo sint noti. Fuerunt autem *clavi* nodi in



in tunicis ex purpurâ confecti figuram capitum clavi præ se ferentes, quos de pectori dimittebant. Senatorum & equitum Rom: erant insignia, sed ita ut Senatores lato ribus clavis, & equites angustioribus uterentur. Unde illi *Laticlavi*, hi verô *Angusti clavi* dicti. *Lati clavi* mentionem facit *Ovid.* 4. *Tr. Eleg.* 9. v. 29. & 35, his verbis:

Induiturq; humeros cum latō purpura clavo. Adde *Horat.* lib. 1. Sat. V. 36, & sat. 6. 28. Idem lib. 2. sat. 7. 10, & *Sveton.* in *Aug.* c. 35. Aliquando *in usitata pompa vel habitas etiam loco præmii* fuit. *Duilius Imperator*, qui maritimum triumphum primus egit, & *Pœnos classe* vicit, non *contentus fuit unius diei*, ut *Florus lib. 2. c. 2.* loquitur, *triumpho, per vitam omnem, ubi à cœnâ rediret, prælucere finalia, præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet.* C. *Duilium, inquit Cato apud Cic. de senectute*, qui *Pœnos primus classe devicerat, redeuntem à cœnâ secundum sæpe vidi puer; delectabatur cereo, funali & tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus sumpserat.* Aliud genus Honoris placuit *Cornificio*, qui cum in bello *Scicula* exercitum ab hostibus circumventum consiliô & virtute liberasset, quoties foris cœnaret, *elephanto vectus domum rediit, Dio lib. 49.* Hæc humana & hominibus debita præmia potissima fuérunt. Sed hisce insatiabilis Ambitio non acquievit, verùm etiam divinos honores affectavit. Hinc *hymnis & Pœanibus decantari participationibus sacrorum superstitionum honorari, peplis & Carminibus Dearum & Deorum, nomina consecrari, imo, quod omnium stultissimum erat, in Deorum numerum cooptari voluerunt.* *Hymni deorum laudibus primūm consecrati fuerunt; deinde etiam virorum bene meritorum *Encomiis* inservierunt. Antiquitus quidem *Romæ* hanc viguisse consuetudinem Auctor est *Cicero in Bruto*, ut inter epulas à singulis conviviis ad tibias cantarentur *carmina, quæ laudes magnorum virorum completerentur.* Sed illa cum tempore obsoleverunt, & loco eorum hymni deorum proprii successerunt. Olim quidem apud *Græcos Religioni habitum**



habitu Pæanem Carmen Apollini soli sacrum in ejusquam
mortaliū honorem canere; sed temporibus extremis non
solum Pæanis honor, verū multa alia etiam superstitionis ad
principes ab adulatio[n]e translata. Lysandro Lacedæmonio Sa-
mios, & Ptolemæo primo Ægyptiorum Regi Rhodios pæana ceci-
nisse annotavit Athenæus *dipnosoph.* lib. XV. p. 696. Formula
autem Pæanicæ acclamationis fuit: Ἡ παῖαν i. e. Jo Pæan! In
honorem Demetrii Antigoni Filii, Athenienses, ob redditam li-
bertatem, pristinamq; Reip. formam post annorum 15 servitutem
Senatusconsultum fecerunt, ut quotiescumque in ur-
bem veniret ζευσμοῖς Cereris & Bacchi, i.e. iisdem ritibus & Ce-
remoniis, quibus Ceres & Bacchus exciperetur. Imò & suffiti-
bus, coronamentis, libationibus vini, & prosodiis tanquam præ-
sentem Deum exceperunt, vid. Casaubon: in *Athen.* lib. 6. c. 14.
& 15. Prætereat intexebant nomina eorum, quos eximiis hono-
ribus ornare erat animus, Minervæ peplo. Quid vero fuerit Mi-
nervæ peplum diversa est Auctorum sententia. Aliis, & in primis
Suidæ est velum Panathenaicæ navis, quam Athenienses Miner-
væ quarto quoq; anno instruebant, cuius etiam pompam per Cera-
micum Eleusinem usq; ducebant. Peplum autem hoc vocarunt,
quod lancum esset. In eo depictus fuit Enceladus unus ex Gigantibus,
quem Minerva sustulit. Non nullis peplum est palla picta
fæminea, vel vestis candida, aureis clavis picta sive manicis, quod
simulacris fiebat. Hoc peplum matronæ suis manibus conficie-
bant & quinto quôq; anno Minervæ offerebant. Ita de atri-
gentiles quinto semper anno novis indumentis indigebant.
Hinc natum Proverbium: ἀξιος γε πεπλο δignus. Quamvis
autem Romani primò ab adulatio[n]e plane abhorruerint, eoq;
nomine Græcos notarint & contemptim Græculos. i. e. vanos &
ineptulos appellariunt; tamen postremò, ut multis aliis vitiis, ita
& plusquam servili adulatio[n]e non Græcos solum æquarunt, sed
etiam superarunt. Non enim tantum nomina Principum Sal-
ari Carmini inferuerunt, ut de Germanico Tacitus 2. Annal. 83. &
de Vero Antonini Philosophi Filio Spartianus produnt: verū
eosdem



eosdem consecrarent, & in deorum numerum etiam retulerunt.
Hæc consecratio ἀποθέωσις dicta. Modum consecrandi maximè
Herodianus lib. IV. his verbis tradit: Ceream imaginem, defuncto
quam simillimam Regiæ vestibulo proponunt supra eburneum le-
tum sublimem, vestibus auro intextis stratum. In campo Martio
suggestus è lignis quadrangulis lateribus æquis assurgit in taberna-
culi formam, cui subjicitur aliud eadem formâ, sed contractior. Ter-
tius deinde & quartus, sic ut inferior superiori semper sit contra-
etior. Lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata omnis
generis affundunt. Tum circa ædificium illud adequitant universi
equestris ordinis certâ lege ac recursu, motuq; ac numero Pyrrichio
in orbem decurrentes. Currus item circumaguntur insessi purpura-
tis rectoribus, qui ducum omnium Romanorum, virorumq; illustri-
um personas ferant. Mox imperii hæres faciem tabernaculo ad-
movet. Tum cæteri omnes ignem subjiciunt; cuncta q; illico fomi-
tibus aridis, odoramentisq; referta igni valido corripiuntur. Mox
ab extremo, minimoq; tabernaculo tanquam è fastigiô quodam si-
mulcum subiecto igni ascensura in ætherem aquila dimittitur, quæ
in cœlum creditur ipsam Principum animam deferre, ex eo Im-
perator inter Deos colitur. Augustis quoq; uxoribus & fæminis
id honoris datum; Sed tum loco aquilæ superbailla & Junoniæ
avis, Pavo emissus, quo in cœlum deferrentur. Post consecra-
tionem Imperatores cum fulmine, radiatâ coronâ & cum astro,
in vertice effigi pietiq;, & Divi appellati sunt. Pagana igitur
& superstitiosa est locutio: *Divus Julius, Divus Augustus &c.*
Quomodo hæc cum Christianâ lingvâ conveniat, Theologi vi-
derint. Et quanquam hæc consecratione nihil stultius, & vanius
dici potest, tamen inventi, qui fabulæ isti fidem facerent, Nam
Julius Proculus visum à se Romulum affirmavit augustiori formâ
Flor. lib. I. c. I. Et Numerius Atticus le Augustum in cœlum eun-
tem vidisse juravit, ideoq; à Liviâ decies sestertio (o magni men-
daci magnum præmium!) donatus est. Dio lib. 56. De istâ
Geo πολια videatur Voss. in Theolog: gentili lib. I. cap. 12. & maxi-
mè Autor rarissimus Bulengerus de Imperatore & Imper. Rom.
lib*



lib. i. cap. 10. & II. Imò eò servitutis princeps ille & libertatis vi-
dex acerrimus populus prolapsus est, ut *Augusto vivo Sacrari-*
um, Sacrificia, & nomen Dei tribuerent. Imprimis ab Ovidio
exule exertis verbis appellatur *Deus* I. *Tri.* 4. 84. 4. *Tri.* 4. 45. 1.
Pont. 3. 5. & *Eleg.* VII. 46. 2. *Pont.* 3. 68. & *Eleg.* 8. 76. *Deus unius*
3. *Tri.* 2. 28. *Deus Magnus* I. *Tri.* 3. 124. item *Jupiter* I. *Tri.* 1. 81. &
Eleg. 4. 78. 5 *Tri.* 3. 2. 1. *Pont.* 8. 50. *Numen* 3. *Tri.* 6. 23 & 4. *Tri.* 7.
50. it. 5 *Tri.* 5. 17. 1. *Pont.* 3. 7. *Cæsar* Numen I. *Pont.* XI. 42. *Cæsa-*
reum Numen 5 *Tri.* 5. 46. & *Eleg.* 12. 20. *Numen Augustus* 4. *Pont.*
6. 10. *Numen Augusti*. 3. *Tr.* 8. 13. *Numen Cœlestis* 2. *Pont.* 8. 15. His
adde *Deos locorum* I. *Tr.* 1. 71. *Deos magnos* I. *Pont.* 6. 70. & *Eleg.*
VII. 26. *Superos*. 1. *Pont.* 1. 77. *Numina* I. *Tr.* 1. 74. 4 *Pont* 15. 24.
Romana Numinæ 2. *Pont.* 2. 41. vide etiam 4. *Pont.* *Eleg.* IX. 106.
ubi cultus *Augusti* vivi à Poëta describitur. Sed infelix hic cultor
Deum suum exorare non potuit, ut vel mitius exilium, nedum in
Patriam redditum concederet. Sed mitto *impian* hanc *Pietatem*
& ad veram *Pietatem* me verto. Hæc primariò respicit *Deum*, &
secundariò etiam *Magistrum*, *Patriam*, in primis autem *Parentes*, & qui Pa-
rentum sunt loco, imò etiam *Conjuges*, *Fratres*, *Consanguineos* & *Amicos*. Exem-
pla posterioris significationis, quæ *Germanis* est *Hebe und Treue* passim inveni-
es. Ex multis pauca sufficient, & quidem locis tantum indicatis; ut *affectus er-*
ga Principem. *Curt.* VI. 8. & VII. 1. item IX. 6. & X. 3. erga *Patriam*. *Nep.* 17. 4.
erga *Parentes*. *Plaut.* in *Afin.* 3. 1. *Hoccine est pietatem colere?* *Ter.* *Hec.* 3. 4.
Nep. 21. 1. *Curt.* 5. 2. & 10. 5. erga *Conjuges* *Ovid.* 1. *Tri.* 1. 86. Erga *Fratres* *Nep.*
20. 1. *Curt.* 3. 11. *Ovid.* 1. *Pont.* 8. 59. & 4. *Pont.* 9. 61. erga *Patronos* & *Consanguineos*
Nep. 25. 5. *Curt.* 3. 12. & 5. 5. erga *Amicos* *Ovid.* 1. *Tr.* 4. 38. & *Eleg.* 6. 11. *It.* 3. *Tr.*
4. 35. & 4. *Tr.* 6. 5. nec non 5. *Tr.* 15. 28. 2. *Pont.* 6. 31. & XI. 6. 3. *Pont.* 2. 7. & 17.
Ex hisce *Pietatis* generibus prior ex Declamatoribus nostris *Pietatem Cimonis*
erga Patrem Miltiadem etiam mortuum ex *Cor.* *Nepote* collaudabit. Posterior
verò, qui est *Viri admodum Reverendi*, *Clarissimi atq; Eruditissimi Dn. Joh. Chri-*
stophori MICHAELIS, *Pastoris in arce Königstein meritisimi*, *Amici & Fautoris sin-*
gularis Filius natu maximò, *Agesilai Pietatem in servanda fide, jure jurandoq;*
& *tuendā templorum Religione ex eod.* *Auctore* deprædicabit. Utriq; in *Pietatis*
studio Constantiam comprecor, & promissa eidem in sacris literis *præmia pol-*
liceor. Deniq; ad extremam metam annus calamitatum plenus properat. Vel
illa felix tandem appareat, in primis iis, qui in medio hujus anni curriculo in
igneas voragini prolapsi. Hi non solum salvi emergant, sed cursum quoq;
sequentis anni tanto feliciori pede pergant, quanto infelior eorum casus ex-
tit. Fiat per Jesulum nostrum! Amen!



Ung. VI 58 (1)

ULB Halle
002 686 287


3



56,

VD17
Sep. 2000 Pd.







XXXVII.

DE

PIETATIS PRÆMIIS

Pietatis Studio deditos

CHRISTIANUM GOTOFREDUM SCHRAMMIUM Budiss. Luf.

JOH. Gottlieb MICHAELIS, Piruensem. Misn.

Memoriter

Crasinâ luce d. 22. Dec. verba facturos.

ut

DN. PATRONI, FAUTORES

atq; AMICI,

In edibus

Tit. DN. STEUDNERI, Hospitis nostri

Humanissimi,

Consuetâ benevolentia atq; attentione audiant

Hisce oratum vult

M. JOHANNES Rosenberg /

Schol. Budiss. Evang. Rect.

Plaut. in Rudent. Prolog.

Idcircò moneo vos ego, heic qui estis Boni,
 Quiq; ætatem agitis cum pietate & Fide,
 Retinete porrò, post factum ut lætemini.



Budissine Stanno RICHTERIANO, 1686.